

DISPUTATIO VI.  
ANTI-PHOTINIANA.

De  
PECCATO ADAMITICO  
ET ORIGINALI.

Quam

DUCE ET AUSPICE CHRISTO

P R E S I D E

JOHANN E H I M M E L I O  
SS. Theol. D. & Prof. P.



Quæbitur ad 15. August.

JOHANNES ALBINUS ELBINGA  
PRUTENUS.

J E N Æ  
T Y P I S V I D U Æ W E I D N E R I A N Æ,  
ANNO M. DC. XXVII.

169 285153

264030



*Strenuis, Magnificis, Nobilissimis & Am-  
plissimis Viris,*

Dn. VALENTINO von Bodeck :

Dn. EGGERTO von Kempen :

Illi, Reipubl. Dantiscanae Burgrabio Regio Perillustri,  
huic vice præsidi ejusdem, ac utrique Praeconsuli  
gravissimo.

Dn. ADRIANO von der Linde :

Dn. GUALTHERO Rosenberg :


Reipublicæ Gedanensis Consulibus  
dignissimis.

*Dominis suis Fautoribus & Promotoribus honorando  
dis, colendis.*

Hanc Theologicam disputationem, in sui  
suorumquæ studiorum commendatio-  
nem,

*Dedicat & Offert*

*Johannes Albinus Resp.*



## Ad Dn. Respondentem.

**E**ST Gens Icariis Ratio quam vectit at alis,  
Qua solet in Trädos veneranda palatia, gressu  
Turpiculo irruere, & causas casusq; Superne  
Curia, ad examen tenebrofi appendere Sensūs.  
Hanc, Albine, DEO Duce, verbo pelle Sacrato.  
Ast Tu Justitiae Sol, CHRISTE, tuo igne resolve  
Icarias illas, Ratio quas preparat, alas:  
Sic in squalentem Gens bac ruet omnis abyssum.

Joh. Himmelius D.



# DISPUTATIO VI.

*De*

## PECCATO ADAMITICO ET ORIGINALI.

RESPONDENTIA

JOHANNE ALBINO, ELBINGA-PRUTENO,

### THEISIS I.

**M**iseriam Hominis contemplati sumus exlinuimus seu ratione habitus præcedentius; consideranda nunc sentimus ratione privationis subsequentius, factæ per peccatum.

2. Est verò Peccatum aliud Primum seu Originans, aliud Op. tum à Primo seu Originatum.

3. Primum seu Originans est Lapsus seu prima Hominis àtoruia, quâ à speciali DEI mandato de arbore vetita, defecit.

4. EFFICIENS hujus Apostasiaz Causa fuit Satan Separatus ille Antiquus (Apoc. 12, 9.) persuadens, & Homo consentiens. vide diff. 8. Syntagm. th. 45. & seqq.

5. Photiniani hic dupliciter impingunt.

6. I. DEO Creatori causam lapsus Principalem assignando, sua hypothesi de rebellione virium humanarum Naturali, de qua disp. præcedenti. Unde sequitur; DEU M esse Autorem lapsus omnisque peccati Principalem, uti demonstravimus disputat. s. Papism. th. 27-30.

7. II. Non solum hominem, sed & animalia bruta peccasse, perperam statuendo.

8. Socin. l. de stat. pr. hom. c. 6. pag. 157 158. Non solus homo, sed cætera quoque animalia à recta via deflexerant: ut aperte ex Historia verbis colligitur. Sic enim ibi scriptum est: Cumque vidisset

N

*Deus*

Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram &c. Ex illis enim verbis: Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram; appareat non hominens tantum, sed omnes animantes deflexisse: cuiuscunq; nimirum animantium generi naturaliter à Deo sua via per quam graditatur, præscripta est. It. ibidem: Quid igitur mirum, si Deus omnes animantes perdidit unā cum homine, Diluvii aquas universo terrarum orbi immortens, cùm omnes animantes viam suam corrupserint? It. pag. 190. Ut supra ex divinis literis ostendimus, bestiæ quoq; corruptunt viam suam, & ob eam causam à Deo etiam in hac vita puniuntur.

9. Sed errorem hunc refellit 1. Scriptura; Genes. 8, 21. Math. 15, II. 2. Ipsius Socini Confessio ingenua, quæ ita habet l. d. c. 6. p. 157 Quod igitur animalia universa propter hominem à Deo unā cum ipso homine graviter affligantur, illustre admodum exemplum habemus in Diluvio, quo non minus animantes universæ, quam homines ex decreto divino perierunt. Sed propter hominem id à Deo factum fuisse, ostendunt verba illa ad fin. 8. cap. Gen,

10. EFFECTUS hujus culpæ seu lapsiū est pœna, quæ consideratur tūm ratione ipsorummet primorum Parentum, tūm ratione Liberorum omnium, eorundemque Posterorum.

11. Parentum seu Protoplasmorum pœna fuit tūm Communis, tūm Propria.

12. Communis æquè Adamo ac Eva fuit pœnæ loco illata, ut est 1. Imaginis divinæ amissio. 2. Naturæ corruptio & 3. Mortis naturalis & æternae introductio.

13. Photiniani quamlibet negant pœnam. Ita enim de Amisione imaginis divinæ Socin. l. de stat. præhoma. p. 7. Etiam postquam est homo morti penitus obnoxius, eam imaginem retinere dicitur Gen. 9, 6. Idem in prælett. c. 3. p. 8. Si in eo divina imago & similitudo in homine fuisset, quod justus creatus esset, certe post peccatum imago & similitudo illa deleta in homine fuisset: & tamen etiam post peccatum homo ad imaginem & similitudinem Dei factus esse dicitur Genes. 9, 6. Jac. 3, 9. Smalc. contrà D. Frantz. disp. 7. p. 52. Nisi probetur eam (Dei Imaginem) amissam esse, nullus ejusdem restitutioni locus esse potest. Ibidem: Durante hodie Imagine Dei, tamen illa (Sapientia & immor-

galite)

ralitas) non sunt in homine. Ibidem p. 54. Instaurationi (imaginis divina) nullus est locus, ubi destruacio nulla fuit. It. p. 61. Nos de imagine DEI, que adhuc post peccatum in hominibus inest, afferimus ex Genes. 9, 6.

14. Contrarium facilè defenditur 1. ex omnium partium imaginis divinæ amissione, tūm ratione constitutionis videl. ratione Notitiae quoad intellectum divinum, Ephes. 4, 18. & ratione Voluntatis, quoad justitiam & sanctitatem, Roman. 3, 23. tūm ratione consecutionis, videl. Dominii in Bruta, quod hodie est valde debilitatum & attenuatum, teste Experiencia.

15. De Corruptione Nature ita Catechis. Rator. Lapsus Adæ, cùm unus actus fuerit, vim eam que depravare ipsam naturam Adamo posset, habere non potuit. Socin. prælect. c. 4. p. 13. Unum illud peccatum per se non modò universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. Item p. 14. Nihil illi (Adamo) adem tūm fuit, quod naturaliter haberet vel habiturus esset.

16. At quid Scriptura Job. 3, 34, Rom. 6, 16. 2. Pet. 2, 19?

17. De Morte ita Socin. l. de stat. pr. hom. p. 59. Per peccatum ipsam Mortem in mundum intrasse, non eam vim habet, ut si homo non peccasset, mors in mundo exitura non fuisset; sed tantummodo, ut peccati occasione quadam Adami lapsu precedente, mortem humanum genus contraxerit, quamvis alioquin nihilominus eam subitum fuisse. Eandem cramben plus centes reponit eodem in Scripto pag. 216. 217. 223. 226. 257. 253. 333. &c.

18. Contrarium Scriptura Rom. 5, 12. 6, 6, 23. docet.

19. Propria pena fuit tūm Adami, nimis. terra sterilitas & vixtus parandi difficultas, Gen. 3, 18. tūm Eve, videl. liberos parendi acerbitas, Gen. 3, 16.

20. Contrarium defendit Socinus l. de stat. pr. hom. cap. 10, p. 278. Sciendum est duplitem esse rationem paenarum à Deo primo boni ob peccatum decretarum. Una est earum, que propriè peccati ipsius paenae dici possunt. Altera earum, que minus propriè. Propriæ ipsius peccati paenæ sunt ille, quas verè tantum attulisse constat, & quas aliqui, vel propter ipsius rei naturam, vel propter Dei voluntatem nobis prefactam, verisimile non est exituras fuisse, ut fuit ejus loco ex Paradiſo,

unā cum malis, quae illam necessariò sunt consecuta, & mors perpetua, si  
re moriendi necessitas illa, de qua & pralatè differimus. Minùs pro-  
priæ peccati pœna fuerunt illæ, quæ etiam si primus homo non peccasset,  
nihilominus extitissent, aut iam extrahant, ut est, quod terra produ-  
cat spinas & tribulos, & homini colenda sit, si ex ea ad vitam suspen-  
tandam fruges percipere velit. Hujus generū pœnas possumus dicere fuisse  
eas, quæ Serpentis & Mulieri fuerunt decreta. Nam & Serpentem  
super pectus suum ingressum iam antea fuisse, ac pulverem comedisse, &  
mulierem etiamsi non peccasset, cum dovere filios parituram, & homini  
subjectam futuram, credendum omnino videtur. Hoc tamen omnia be-  
nignissimus Deus peccati pœnas esse voluit, sati habens id, quod jam na-  
turale erat, necessarium efficere: & pœna loco esse, quod à naturali-  
bus malis eos, qui peccaverunt, non liberaret.

21. Sed quid Scripturā hāc clarius, Gen. 3:14, 15? Qua de-  
re uberiorū differit Dn. D. Hunn. Exam. Error. Photin. sect. 2. cap.  
1. num. 42-45.

22. Posteriorum Adamiticorum poena per lapsum Proto-  
plastrum illis injuncta, est Reatus & peccatum Originalis, seu à  
Primo ortum.

23. Photiniani opinantur 1. Solos Protoplastas, non eorundē  
posteros in peccatum esse prolapsos. 2. Panam igitur peccati ad  
posteros transire sine reatu.

24. De priori ita Socin. l. de stat. pr. hom. c. 10. p. 287. Quo-  
modo sine propria culpa perire potuit genus humanum, quod ne perire  
quidem potuit, cum adhuc non esset?

25. De posteriori idem Socin. l. de Christo Servat. part. 3. c. 8.  
pag. 291. Tametsi omnes ab Adamo prognati morti perpetuae sunt obno-  
xii, id non iedoc fit, quod ipsis Adami delictum imputetur, sed quia ab eo  
progeniti sunt, qui morti perpetuae divino decreto fuit addictus, & ita non  
propter peccati imputationē, sed propter generū propagationē id illis  
contingit. Ibid. in marg. Omnes homines post primos parentes, etiam  
citra peccata sua propria, perpetuae morti sunt obnoxii, idz, non, etiam  
Adami delictum imputetur, sed quod ab eo sint progeniti. It. l. de Justif.  
pag. 53. Certissimum est pœnas primi parentis peccato constitutas, ad  
omnem ejus posteritatem pertinere, nulla habita peccati posteritatisratio-

ne, ob id ipsum tantum, quod ipsius Adami sint posteri, ab ipsis prognari. Hoc enim & res ipsa, & ratio manifesta, & denique Sanctorum bonum in autoritas aperte comprobat, pr&esertim vero Pauli cap. 5. ad Rom. ubi dicit, mortem regoâsse etiam in iis, qui non peccaverunt in similitudine peccati Adami, qui fuit forma seu figura futuri. Smale. disput. 2. contra Frantz. p. 45. Non negamus propter ipsam propagationem, quam omnes habent ex Adamo, eos etiam esse morti aeternâ obnoxios, etiam si non peccarint.

26. Errori utrique reclamat I. Scriptura; Rom. 5:12, 15, 17, 19. item Ezech. 18, 4. Esa. 53, 4. Ps. 69, 6. Lev. 15, 21. II. Socini Confessio propria, quippe qui lib. Quod Evangelic. &c. c. 5. ait: Multe necessarie ac perpetue morti sunt obnoxii, non quidem, quia inobedientia ista illis imputetur; Quid enim iniquius, nisi illi similiter inobedientes fuerint &c. Idem Praelect. cap. 4.

27. Peccatum à Primo Ortum est vel Originale, vel Actuale.

28. Originale Peccatum Scholasticus vocatur Originale Originatum, sicuti prius Originale Originans, vide disputat. 9, Synagmat. tibes. 2.

29. Peccantes enim Protoplasti non tantum suam Peccato infecerunt personam Gen. 3:6, 11. sed cum stirpem generarent, adeoque personâ totius generis humani omniumq; posterorum repräsentarent, ideo & ipsi in Protoparentibus suis peccâsse censentur ; 1. Tim. 2, 14. Rom. 5:12-15. Et hinc Adam peccator, genuit filios ad imaginem suam, id est, itidem peccatores, Gen. 5, 3. 1. Cor. 15:48, 49.

30. Nam sicuti morbus hereditarius, ita peccatum. Spiritualis immundities est & lepra quædam, quæ unâ cum Naturâ in posteros transit, quatenus ex immundo nascitur mundus & à peccato purus.

31. Immunditatem hanc vocat Ecclesia Originale peccatum, partim à Temporis Adjuncto, quia ab origine generis humani naturam humanam invasit, Gen. 3, 6. partim à Causa Efficiente, quia à prima peccati origine fluxit: partim ab Effectu quia Originem

dat peccatis Actualibus: partium ab Adjuncto hominū proprio, quia unā cum hominibus nascitur, quām primum illi incipiunt ori-  
ri ac esse, peccatum simul oritur & originem cum & in illis ha-  
bet, Psal. 51, 7.

32. Pelagiani peccatum Originale in totum negabant di-  
centes; non esse peccatum Origin. sed hominem peccare imitatione pri-  
merum parentum, ac proinde reatum contrahere.

33. Errorē hunc pestilentissimum suum fecerunt Pho-  
tiniani, unde Socinus easdem cum Pelagio tibias inflat, quando lib.  
quod Regni Poloniae &c. c. 5, p. 57. hæc verba ebuccinat: Pronitas ad  
peccandum, quæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione or-  
tum non habet, sic neq; à primō illo peccato, sive ab uno illo primi homi-  
nis peccandi actu statim exorta est; sed continuatis post peccatum illud  
sej; ipsi corruperunt, & sic corruptionis istius semina per propagationem  
ad posteros transmisserunt.

34. Imò adeò infensi Photiniani Origin. Peccato, ut ne-  
quidē Nomen hujus peccati ferre ac tolerare possunt. Hinc illud  
vocant Humanī ingenii figmentum, Socin. l. Quod Regni Poloniae &c.  
p. 59. Mēram fabulam, Smalc. contrā Frantz. disput. 2. pag. 45. 56.  
Commentum, item p. 41. Imaginarium peccatum, quod vulgus Chri-  
stianorum sibi confinxit, p. 42. fabulam Monachorum, Sommer. de  
Justif. p. 40.

35. Causa verò cur Photiniani peccatum Orig. tam acris-  
ter oppugnant & negent, in propatulo est. Insidiantur enim  
hac sua hæretica sententia Deitati Christi; insidiantur merito  
Christi ejusdémque satisfactioni infinitæ, pro universo genere  
humano in Adamo lapsō & per eundem corrupto; insidiantur  
morti Christi, ut eandem satisfactoriam & æternitatem negent,  
& saltem ægreditur patruelū seu exemplarem fuisse obtineant; insi-  
diantur etiam Baptismo, ut expresse fatetur Sommer. tractat. de  
Justif. p. 40. ubi ait: Peccatum Originis esse fabulam Monachorum  
ex pravo intellectu Scriptura excogitata ad Pedobaptismi defendendam  
superstitutionem, Catech. Rac. c. 10. p. 249. Peccatum Originis, inquit;  
nullum prorsus est: quare nec liberum arbitrium vitiare potuit; nec enim ē  
scri-

Scriptura peccatum id Originis doceri potest: & lapsus Adæ, cum unus actus fuerit, vim eam, quæ de pravare ipsam naturam Adami, multò minus verò posteriorum ipsius posset, habere non potuit. Socin. in pralect. c. 4. p. 13. 14. Concludimus, nullū, impropriè etiam loquendo, peccatum originale esse, i. e. ex peccato illo primi parentis nullā labem aut pravitatem universo generi humano necessariè ingenitam esse, sive inflictam quodammodo fuisse, nec aliud malum ex primo illo delicto ad posterorum omnes necessario manasse, quam moriendi omnimodam necessitatem, Tolle igitur Peccatum Orig. & incides in vastissimam Photinianismi voraginem,

36. Sicut iverò Photiniani Peccati hujus Nomen, ita & Rem ipsam ejusdémque potissimum Definitionem, Causam & Subjectum oppugnant, non tamen expugnant.

37. DEFINITIO impugnatur, quando Photiniani nec pro peccato, nec pro reatu, nec pro concupiscentia prava, Originalem labem ac tabem agnoscere volunt.

38. Pravitatem congenitam seu Originalem dicendam, non esse Peccatum, siquidem reatum & pœnam conjunctam non habeat, his Socinus c. 4. pralect. pag. 11. docet verbis: Cupido ista & ad peccandum pronitas, cùm conjunctam secum hominis ipsius, in quo est, culpam non habeat, ejus peccatum propriè dici non potest.

39. Contrà: Omnis prava inclinatio, omnisque mala cupiditas habet culpam sive peccati reatum, quod facile probari potest i. ex Genere, quia recensetur in catalogo Legali culparum seu peccatorum, Roman. 7, 7. & hinc mala dicitur. 2. ex Effectu, quia tollit sanctitatem & hominis rectitudinem, Rom. 5, 12. 3. ex Adversis, quia Legi divinæ ac ipsi Deo est inimica, Jac. 1, 14. vid. D. Hunn. c. 2. scđt. 1. n. 79 84.

40. Neque concupiscentiam malam in homine esse peccatum Originis, his statuit Socin. c. 4. pralect. p. 11. verbis & argumentis: Primum, quia Concupiscentiam istam sive ad peccandum proclivitatem in omnibus prorsus hominibus naturaliter esse, non constet. Deinde etiamsi de eo constaret, non propterea illud esse, quia Adamus à quo omnes progenitum sumus divinum illud preceptum transgressus fuerit. Postremò, quia cupiditas ista & ad peccandum pronitas, cùm conjunctam

secum hominū ipsius in quo est culpam non habeat, ejus peccatum propriū dici non posse.

41. Nos contrā urgēmus expressam Scripturam; Rom. 7,23. Galat. 5,17. Iac. 1,15. Argumenta Sociniana contraria dilui-

D. Stegm. diff. 10. q. 3.

42. EFFICIENTEM Peccati Originis causam veram ex-  
pungunt, & falsam Photiniā singunt.

43. Veram expungunt docendo: Naturam hominū per pri-  
mum Adamī peccatum corruptam & vitiatam non esse, nec posteros ex  
Adamo trahere naturalem quandam corruptionem omnibus ex aequo como-  
munem sed pñnam peccati Adamitici sine reatu in posteros transire.

44. Socin. Miscell. p. 85. Infantes nascuntur sine peccato,  
quatenus ipse sine dubio nondum quicquam peccārunt: nec tamen sunt  
qualis Adamus fuit, cùm à Deo est creatus, quatenus ipsi aeternæ morti  
sunt obnoxii, id quod Adamus non erat, antequam peccaret: non qui-  
dem quia illis Adamī peccatum imputetur, sed, quia ex Adamo, pro-  
pter suum peccatum jam morti aeternæ obnoxii facto, sunt propagati.  
Idem prelect. c. 4. p. 11. Sunt qui velint (haec opinio vulgo est recepta)  
originale peccatum innatam quandam cupiditatem, seu concupiscen-  
tiā malam in homine esse, & ad peccandum pronitatem. Idem lib.  
quod Regni Polonie &c. c. 5. p. 57. Tertium, alii, errore ejusdem generis  
statuo, quod omnino Evangelici docent, hominū ad peccandum pronita-  
rem, ex illo primo hominū peccato profectam esse Ibid. p. 59. Quicquid  
aliud Theologi vulgo de originali peccato disputant præter reatum hunc  
necessarie perpetuèq. mortuū, quem per propagationem ipsam sine ulla  
ipsius peccati imputatione ab Adamo traximus, id omne ut apud ipsos  
met incertum omnino ac varium, sic humani ingenii figmentum  
prosorsus censendum est. Idem de stat. pr. hom. p. 13. Cùm aliquis ge-  
neratur in hoc mundo, id ad vitam tantum & bonum ejus spectat, nec  
aliquid malum tanquam venenum quoddam ex ipsa generatione is  
contrahit, quod cum ad ejusmodi perditionem trahat. Ostorod. Instit.  
Germ. c. 33. p. 271, 272. Man bemühet sich zu beweisen / daß des  
Menschen Natur corrumptirt / ja / daß der Mensch jetzt von Na-  
tur / vnd von seiner Empfängnis an ein Sünder sey / vnd der  
Sünden beschuldiget werde / welcher Sünde nach dem sie nicht  
kan

San vnter die Actualia peccata, daß ist vnter die wirkliche Sünde gerechnet werden / haben sie ein eigen Namen erdacht / nemlich peccatum Originis, das ist die Erbsünde,

45. Sed erronea hæc opinio Photiniana arguitur I. ab ipse Causa hominis Efficiente seu generante, peccato infecta Rom. 3,23. Matth. 7,18. Job. 14, 4. c. 15, 14. II. à Materia ex qua Homo nascitur, quæ itidē peccato contaminata; Job. 14,4. C. 15, v. 14. III. ex generationis forma, quæ etiam peccato inquinata, Psal. 51,7. IV. ex ipso Adjuncta Naturali à bono aversione & ad malum propensione, teste tūm Scriptura Gen. 6,5. c. 8,21. Rom. 7,14. Gal. 5,17. Jac. 1,15. tūm quotidiana experientia. V. à contraria Regeneratione, vel maximè necessaria, Job. 3, 5. 1. Cor. 15, 50.

46. His accedit domesticum Photinianorum Testimonium, quo Originalem malitiam diffiteri haud possunt. Perpendantur quæso hæc ipsorum effata. Socin. l. ad Polon. cap. 5. pag. 85. 86. Pronitas ad peccandum, quæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione ortum non habet (namque ut dicitur est Salomone teste, Deus fecit hominem rectum) sic neque à primo illo peccato, sive ab illo primi hominis peccandi actu statim exorta est, sed continuatū post peccatum illud aliū peccandi actibus, peccandi habitum paulatim homines contraxerunt, seque ipsi corruperunt, & sic corruptionis istius semina per Propagationem ad posteros transmisserunt. Idem prælect. c. 4. pag. 13. Cupiditas ista mala, quæ cum pleriq[ue]z hominibus nasci dici posset, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, quod humanum genus frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & seipsum corruptit, quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Ostorod. Institut. German. cap. 34. pag. 281. Hie müssen wir aber anmerken/ daß/ ob wir wol nicht zugeben/ daß wegen des ersten Menschen Sünde die Menschliche Natur solte verdorben seyn/ so concedira wir doch gern/ das fast in allen Menschen gar eine grosse Begierde/ vnd Zuneigung sey zu sündigen: nicht zwar wegen derselben Sünde: sondern darumb/ daß sich die Menschen selber durch ihre eigene Sünde vnd Bosheit corruptiret, oder verdorben: Welche corruption sie dann her-

nach auff ihre Kinder durch die Krafft des Samens geerbet haben.

47. Frivolum etiam illud est quod Socinus, ut th. 43. alle-gavimus, dicit; Pænam peccati sine reatu in posteros transire. Con-tra quem urgemos; neminem subjacere posse Pœnæ, nisi sit reus cul-pæ: & justitiae Dei adversum est, ut peccata in immerito puniat; ut taceam; quod Scriptura expressè afferit, ex protoplastis transire pœnam mediante reatu, in quo omnes peccarunt, Rom. 5,12.

48. Falso Naturalis labis & ad malum pronitatis causam fingunt Photiniani hanc: Quasi Naturalis pravitas & ad malum pro-nitas non aliunde promanet, quam ex habitibus peccatorum, quos ple-riue (non omnes) frequenter peccando contraxerint.

49. Hinc Smalt, disp. 2. contra Frantz. inquit: Quæ in Ad-a-mo causa fuit, cur peccaret, etiam si nullo peccato Originis infectus erat, ea etiam in aliis hominibus causa esse poterat, cur peccarent, etiam si nullo peccato originali infecti fuissent. Confer ea quæ thes. 43. cœ-tavimus.

50. Error hicce facile ex antedictis refelli potest. Vide D. Hunn. Exam Error. Photin. cap. 2. num. 69-77. D. Stegman, disputat. 10. quæst. 4.

51. SUBJECTUM Peccati Originalis universale labefactare Photiniani, dum statuunt: Non omnes in universum homines; nullos verò infantes peccato pollutos esse.

52. Non omnes homines peccato esse pollutos his statuit, verbis Socin. cap. 4. prælect. pag. II. Originale peccatum, quidam rel-justitiae originalis parentium interpretantur, quā sicut, ut homo natura-liter, nisi Dei gratia superveniente juretur, nihil nisi errare posset, i.e. con-tra legē Dei committere, vel ea mala esse, que omnes homines, propter primi parentis culpam subire coguntur: verūm cùm à nobis, justitiam illam originalem in primo homine non fuisset, demonstratum fuerit, nullus locus est priori ex his interpretationibus.

53. Nos in contrarium opponimus expressa Spiritus S. ora-

oracula, quæ hanc iustitiae originalis carentiam astruunt: ut  
 1. quod Apostolus ait Rom. 3, 23. Omnes peccaverunt & desituun-  
 tur gloria Dei. 2. quod I. Corinth. 2: 14, 15. dicitur animalem homi-  
 nem non intelligere ea, quæ sunt Spiritus Dei; quod non nisi ex ca-  
 rentia imaginis divinæ potest proficiisci. 3. quod in eo statu con-  
 stituti dicimus, in quo ad Imaginem Dei transformari opus habe-  
 mus 2. Corinth. 3, 18. quæ transformatio carentiam imaginis illius  
 necessariò presupponit, quo eodem sensu videtur accipien-  
 dum illud 2. Corinth. 5, 3. Superinduemur, si tamen non nudi re-  
 periemur.

54. Quid verò Adversarii? Ad primum oraculum excipit Smalc. disputat. 2. contrà Frantz. 1. quod nihil hic de infantibus,  
 quibus peccatum originis commune esse dicitur, sed de solis hominibus ad  
 peccandum aptis dicatur. 2. quod Paulus de peccato spontaneo,  
 quod solum peccatum sit & de peccati habitu (quæ vocis peccârunt,  
 in Scripturis potissima significatio sit) non autem de peccato quodam  
 originali imaginario loquatur. 3. quod Paulus tanquam rem præte-  
 ritam commemoret, quod omnes in universum (qui scilicet peccare potu-  
 erint) peccaverint, ideoq. illud tanquam de re præsenti accipiendum non  
 sit, ac si omnes adhuc sint peccato origini infetti.

55. Ad oraculum 2. respondet Smalc. l. d. Paulum de carni  
 sapientia simpliciter, loqui, non de ea quæ peccatum originale consecu-  
 ta sit: & fuisse Adamum etiam ante lapsum animalem, id quod I. Co-  
 rinth. 15: 44, 45, 46. manifestè apparere dicit: Carnalem autem  
 hominem factum esse per spontenam mentis sue à D E O & vir-  
 putis studio ab alienationem, non per aliquod peccatum origini.

56. Ad oraculum 3. reponit hæc verba: Nam quia men-  
 sio fit imaginis, id est de imagine D E I quam sibi fixit Frantzius,  
 sermo est, & ex eadem voce eadem res concludi potest. Describit  
 ibi Paulus præstantiam populi Christiani, ex collatione præstantie po-  
 puli Israelitici. Hunc, ait, habere relawan super cor suum positum,  
 quamdiu ad C H R I S T U M non convertatur, illum verò absque

velamine gloriam DEI aspicere & in eandem imaginem transformari: Israelitas obscure, Christianos evidenter voluntatem DEI cognoscere. Ut etiam tandem ridicule interpretatur illud 2. Corinth. 5, 3. Superinduemur &c. quod de consummata restauratione imaginis divinæ nos allegamus. Eo in loco, inquit, Paulus non de omnibus Christianis, sed tantum de se vel sui similibus loquitur, de quibus ait, quid nolint exui. Exui autem nihil aliud est, quam mori ante adventum CHRISTI, sed malle superindui, hoc est, ad CHRISTI usq[ue] adventum vivere, & ex vivis mortalibus fieri immortales; vestitum igitur esse, est reperiri vivum in CHRISTI adventu, non nudum, est, non mortuum etiam & corpore nudatum: nam qui nudi, hoc est, mortui in CHRISTI adventu revertentur, si non superinduentur immortalitate, sed tantum induentur immortalitate, teste Apostolo eodem 1. Corinth. 15, 53. hoc est ex mortuis vivi evadent.

57. Nos breviter regerimus I. Sententiam Apostoli Rom. 3. esse generalem, adeoque omnem parentiam gloriae cum innata, tum acquisita involvere, ideoque nec infantes excludi posse.

58. II. Concedimus hominem etiam ante lapsum possediri terrenum & animalem, sed alio modo quam post lapsum, ibi ratione substantiae, hic ratione qualitatum sic vocatur, ideo enim occessa est, ut corruptibile induat incorruptibile, ut virtutæ qualitates aboleantur, non ut substantia tollatur.

59. Quia Apostolus 2. Corinth. 3. expressè dicit; per Evangelium nos transformari, in illam iustitiam ut ex contextu patet: ideo rectè hinc colligitur sine CHRISTO & extra CHRISTUM nos nasci in mundum originali iustitia privatos. De præstantia autem populi Christiani non loquitur Apostolus vers. 18. sed à vers. 6. ad 11. postea vers. 12:13, 14, & 15. de duritate Iudeorum differit & vers. seqq. ostendit, quomodo in conversione ad Evangelium tollatur velamen (ignorantia & duritia Iudeorum, ut intelligent opus esse mediatore) & sic remoto

moto hoc velamine, id est, duritie nos omnes Judæi & gentes ad Imaginem D E I transformemur. Quod verò ad locum.  
2. Corinth. 5. affertur risu potius explodendum, quām prolixè refutandum.

60. Nullos Infantes peccato Origin. esse pollutos docet Martin. Czechovicius, qui ANNO CHRISTI 1575. Scriptum de Pædobaptistarum errorum origine edidit: quod in principali themate aliquatenus videtur discedere à Photinianorum dogmate: dum Pædobaptismum omnino prohibet, quem Photinianismus saltem dissuadet; sed alia etiam nonnulla habeat, quæ confutavit Socin. disputat. de Baptism. Aq. pag. 202. seqq. attamen hunc Autorem sectæ Photiniane accensendum duximus, cum, propter dogmatum ferè omnium exactam harmoniam, tam quia ex officina Theophili Adamidi Scriptum prodiit, quam Photinianis interire, ex Responso pro Racoviensibus adornato, & Johanni Paleologo opposito videre licet.

61. Nolumus autem si error hic Photinianis forsan non nullis (contrarium enim colligitur ex disputat. 2. Smalc. contra Frantz.) displicet, eundem ipsis affectum: et si ex anteà dictis satis pateat, eos omnino inficias ituros; quod infantes sint natura in regno Satanae. Martinus verò Czechovic. errorem tertium Pædobaptistarum hunc ponit: quod ob Adæ peccatum, quod vocant originale, oporteat infantes baptizare, eo quod nascendo sunt omnes in manu Satanae; pag. 18. seq. Cujus instituit confutationem per aliquot folia satis quidem prolixam, sed jejunam, de qua paucis differere operæ pretium esse arbitramur.

62. Notandum igitur initio, quod distincta sint: esse in regno Satanae, esse in potestate Satanae, & esse demoniacum. Hoc obsessionem corporalem significat: illud dominium quo tenentur iij, qui peccatis sunt dediti, quando ducuntur laqueis Satanae, 2. Timoth. 2, 26. & ipse eos custodit ceu vincetos Luc. 11, 22. & opus suum habet in illis, Ephes. 2, 2. Cum dicimus infantes

esse in regno Satanæ, consideramus eos nequaquam corporaliter, ratione cuiusdam obsessionis, sed spiritualiter, & quidem. Partim quoad ductum, nam sibi relieti & naturalem ductum, secuti latam viam decursuri essent ad damnationem æternam, aversi scilicet à DEO, qui propter peccatum est ab iis quasi separatus; *Esa. 59, 2.* partim quoad iudicium; conferimus enim parvulos ad tribunal DEI, qui ipsos tanquam peccatores, è suo regno excludit, & regno Satanæ adjudicat: & nihil dicimus aliud, quam infantes nasci peccatores, itaque judge DEO, alienos à regno ipsius, & consequenter Satanæ regno subjectos. Dogma verò Czechovicii, illorūque qui cum ipso faciunt esse alienum hinc probamus.

63. I. *Quia* Infantes considerati juxta naturalem suam conditionem, in qua nascuntur, sunt extra regnum DEI, ac per consequens, sunt in regno Satanæ. Probatur hoc, quod scilicet infantes sunt extra regnum DEI. 1. *Quia* sunt peccatores non reconciliati. 2. *Quia* non possunt regnum cœlorum seu vitam æternam ingredi, *Johan. 3:3, 5, 6.* 3. *Quia* non possunt monstrare *Photiniani*, qualiter infantes veniant in regnum DEI. Adulti in illud recipiuntur per Baptismum, & verbum, quæ ex parte DEI sunt media hujus receptionis. Quid infantes in regnum DEI penetrant per verbum, nec Adversarii affirmant: Quod idem per Baptismum, negant: Quod per nativitatem, afferere non audent, & contrarium in Scriptura legitur. 4. *Quia* infantes per naturalem suam conditionem & antequam regenerentur forent in regno DEI & nascerentur Christiani. Soli Christiani sunt in regno DEI: datur enim per CHRISTUM accessus ad patrem; *Johan. 14, 6.* *Ephes. 3, 12.* aliud verò nomen per Roman. 8, 15. *Galat. 4, 6.* "qui infantes non nascuntur Christiani: sed demum sicut . . . suntur, *Johan. 3, 36.* 1. *Petr. 1, 23.* Ergo infantes per naturalem conditionem non sunt in regno DEI.

64. II. *Quis*

64. II. Quia infantes sunt naturā filii iræ, Ephes. 2, 3. Argumentamur ita: Omnis iræ filius ejicitur in regnum Satane Matth. 18, 34. Omnes infantes, qualiter carnaliter nascuntur, sunt filii iræ. Ergo omnes infantes, qualiter carnaliter nascuntur, ejiciuntur in regnum Satane.

65. Objicit Czechovicius ita: Infantes sunt sancti, ideò non in Satane regno: Verba ejus sunt: Alterum crede mihi horum falsum sit necesse est. Nam si sancti sunt, demoniaci esse non possunt. Quod si demoniaci; ergò non sancti; p. 24.

66. Resp. 1. ita scribit Apostolus 1. Corinth. 7, 14. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Ubi differit Apostolus de conjugio infidelis persone cum fidei, illudne dissolvendum vel ratum habendum? Et decernit pro conjugio, ratum affirmans, cum annexa ratione: quia liberi sunt sancti, hoc est, legiti, non autem spuri, quæ mens est Apostoli, ut totus contextus arguit. 2. Infantes sancti sunt sensu Ecclesiastico & civili, non autem spirituali, quod probatur 1. ex re veritate, quia indigent regeneratione, quæ fit per Baptismum, Ephes. 5, 26. Johan. 3: 5, 6. 2. ex Confessione Adversariorum. Nam 1. Adamum negant sanctum & justum fuisse, prius quam laberetur, quia non habuit objectum, in quo opera sancta exercuerit, & sanctitatem acquisierit: juxta quod infantes similiter negandi erunt sancti, quia sanctitatis habitum non potuerunt acquirere, nec objectum existit, in quo sanctitate us exercere possint. 2. Dicunt infantes per naturam nec esse sanctos, nec peccatores, sed inter utrumque medios: quomodo igitur Apostolus eos, qui negant sancti, nec peccatores sunt, sanctos pronunciavit? 3. Si in carnali juxta Apostolum essent sancti & in regno DEI: non tamquam hoc ex sua natura haberent, sed ex spirituali conditione pertinetum, qui sancti sunt: sed quid quæsto putandi sunt, esse per naturam? id vero in questione versatur: 4. Quid futurum est de infantibus non regeni-

regenitorum? illine sunt in regno Satanæ? Si non sunt, quomodo & quando in regnum DEI fuerint translati? Si sunt (quis enim eos pronunciat sanctos) rectè sane dictum est: *infantes, quales sunt per conditionem naturalem, nasci in regno SATANÆ.*

